

nequam aliam quaerat copiam ac te deserat.

55 *CH.* immo abeat multo malo quovis gentium
quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.
nam si illi pergo suppeditare sumptibus,
Menedeme, mihi illaec vere ad rastros res redit.

930

ME. quot incommoditates in hac re capies, nisi caves!
60 difficilem te esse ostendes et ignosces tamen
post, et id ingratum. *CH.* ah nescis quam doleam. *ME.*
ut lubet.

quid hoc quod rogo, ut illa nubat nostro? nisi quid est 935
quod magis vis. *CH.* immo et gener et adfines placent.

ME. quid doti dicam te dixisse filio?

65 quid obticuisti? *CH.* dotis? *ME.* ita dico. *CH.* ah.
ME. Chreme,
nequid vereare, si minu': nil nos dos movet.

CH. duo talenta pro re nostra ego esse decrevi satis; 940
sed ita dictu opus est, si me vis salvom esse et rem et filium,
me mea omnia bona doti dixisse illi. *ME.* quam rem agis?

70 *CH.* id mirari te simulato et illum hoc rogitato simul
quam ob rem id faciam. *ME.* quin ego vero quam ob rem
id facias nescio.

CH. egone? ut eius animum, qui nunc luxuria et lascivia 945
diffluit, retundam redigam, ut quo se vortat nesciat.

ME. quid agi? *CH.* mitte: sine me in hac re gerere
mihi morem. *ME.* sino:

